



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Reverendissimo Atque Illustrissimo Viro Ac Domino Domino Nicolao Ab
Hontheim, Episcopo Myriophytano, Eminentissimi Electoris Trevirensis
Suffraganeo, RR. Capituli Ad S. Simeonem Decano Amplissimo &c. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

REVERENDISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO VIRO
AC DOMINO
DOMINO
NICOLAO AB HONTHEIM,
EPISCOPO MYRIOPHYTANO,
EMINENTISSIMI ELECTORIS TREVIRENSIS
SUFFRAGANEO,
RR. CAPITULI AD S. SIMEONEM DECANO
AMPLISSIMO &c. &c.
FRIDERICUS REIFFENBERGIUS,
à SOCIETATE JESU,
OMNEM IN DOMINO FELICITATEM.

EST à priscis temporibus in ætates ferme singulas usurpatus mos, ac consuetudo, Illustrissime, atque Reverendissime Vir! ut, qui literarium aliquod opus emissuri in lucem sunt, Patronum huic quærant idoneum; sub cujus constitutum præsidio prodire possit tutius, atque omnium in conspectu versari. Circumspiciunt proinde diu, ac sedulò, ut nonnisi spectatissimum tandem sibi deligant; atque eum ferè, qui non modò dignitatis aliquid aspergere possit scribenti; sed & autoritate, ingeniique famâ obrectatorum voces compescere. Quâ in re illud certè percommode cecidit mihi, ut anceps hæere diu non debuerim, cui potissimum qualemcunque hanc lucubrationem meam dicarem. Enimverò sive spectem publicam, quam à munere, quod geris, gravissimo habes auctoritatem; sive eruditionis, quam editis tibi libris comparâsti existimationem; sive pulcherrium, quod præ te fers, promovendæ rei literariæ studium; sive demum singularem, quâ me nunquam non complexus fuisti, benevolentiam, atque humanitatem, occurrere nullus animo poterat Te dignior, nullus à virtute aut scientiâ illustrior. Quæ quidem ego pluribus faciliè verbis confirmare possem, si in re adeò pervagatâ aut actum agere, aut tuæ, quæ omnium instar laudum est, modestiæ gravis vellem accidere. Occupentur itaque in hoc encomiorum genere per me ii, quibus vel propensiolem ad id natura dedit animum,

* *

vel is dilaudandus obtigit Mæcenas, qui magnificis id genus elogiis magis amet, quàm Tu, mulceri. Ego certè, dum id facere tuo me jure vetas, haud invitus morem gero propterea, quòd sciam de animi, ingeniique tui præstantia vel me tacente locuturas satis conscensas olim, ornatásque à Te hâc in Universitate Cathedras, collocatos in causis gravissimis annos plurimos, gestos Magistratus amplissimos, ac feræ nuper posteritati transcripta volumina. Quo solo opere testatum fecisti omnibus, nihil esse tam abditum, quod non rimari, nihil tam abstrusum, ac reconditum, quod non pervestigare, nihil denique tam implexum in re antiquariâ, & involutum, quod explicare non scias, atque evolvere. Quare meis nil hodie tibi opus est encomiis: quando tot præstò sunt præcones, quot cives; tot testes, quot rerum à Te præclarè gestarum monumenta. Ad ipsum itaque hoc, quod oblatum venio, Opus sermonem converto, ac stylum. Authorem illud habet, ut nosti, Cl. Virum, *Scipionem Maffejum*; accommodatum est ad hodiernum cum Sectariis pugnandi morem; instructum argumentis Theologicis, dogmaticis, historicis, criticis; eâque vi, ac numero, ut contra Solem, quod ajunt, loqui necesse sit eum, qui veritati tam apertæ obstrepere, suumque contra demonstratam adeò perspicuè Ecclesiæ & Patrum traditionem tueri porro voluerit errorem. Quamobrem non magnopere laborandum mihi censeo, neque multis Te exorandum, Vir Illustrissime! ut Opus tam utile, tam suo ab Authore illustre, tam Tibi non indecorum, in fidem atque clientelam recipias. Illud potius à me rogandus es, ut, si optimæ in rectè interpretando voluntati non ubique respondit effectus, benigniorem id in partem accipere velis, conatúmque hunc meum æqui, bonique consulere. Accipe igitur, quod Tuis sub auspiciis evulgare cogito volumen! proba illud, gravissimo Tuo, quoad licebit, judicio, patrocinio fove, autoritate tuere, & Urbi, & Patriæ longos insuper annos vive, & vale.

Dabam Augustæ Trevirorum, Anno M D C C L V.

XI. Kal. Januar.